

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribitur hic ritus immolandi et comedendi agnum paschalem. Secundo, vers. 29, angelus vastans percussit primogenita Ægyptiorum, intactos relinquens Hebræos. Tertio, vers. 33, Hebræi exierunt Ægypto cum spoliis et opibus Ægyptiorum.

Nota. De agno paschali sæc hic pertractat Moses: Primo de qualitate agni, vers. 3. Secundo, de tempore illum immolandi, vers. 6. Tertio, de sanguine ejus illinendo postibus ad evadendum percussorem angelum, vers. 7 et 13. Quarto, vers. 8, de ritu et modo illum comedendi. Quinto, de nomine tam agni, quam festi, quod est phase vel pascha, vers. 11. Sexto, de personis ad edendum agnum idoneis, vers. 43.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti: 2. Mensis iste, vobis principium mensium; primus erit in mensibus anni. 3. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. 4. Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. 5. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis et hædum. 6. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vespèram. 7. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminariis domorum, in quibus comedent illum. 8. Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. 9. Non comedetis ex eo erudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis. 10. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane. Si quid residuum fuerit, igne comburetis. 11. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, et calcamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter; est enim Phase (id est transitus) Domini. 12. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus; et in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus. 13. Erit autem sanguis vobis in signum in œdibus in quibus eritis; et videbo sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. 14. Habebitis autem hunc diem in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. 15. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris; quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum. 16. Dies prima erit sancta atque solemnitas, et dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis faciētis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. 17. Et observabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, et custodietis diem istum in generationibus vestris ritu perpetuo. 18. Primo mense, quarta decima die mensis ad vespèram, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vespèram. 19. Septem diebus fermentum non inveniatur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. 20. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. 21. Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, et dixit ad eos: Ite, tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase. 22. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminaria, et utrumque postem: nullus vestrum

egrediatur ostium domus suæ usque mane. 23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et lacerare. 24. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum. 25. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis caeremonias istas. 26. Et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? 27. dicetis eis: Victimam transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios et domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit. 28. Et egressi filii Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron. 29. Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in sofio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. 30. Surrexitque Pharaeo nocte, et omnes servi ejus cunctaque Ægyptus, et ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus. 31. Vocatisque Pharaeo, Moysi et Aaron nocte, ait: Surgite, et egredimini a populo meo, vos et filii Israel: ite, immolate Domino sicut dicitis. 32. Oves vestras et armenta sumite ut petieratis, et abententes benedicite mihi. 33. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. 34. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: et ligans in palliis, posuit super humeros suos. 35. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Moyses; et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. 36. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis, et spoliaverunt Ægyptios. 37. Profectique sunt filii Israel de Ramses in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis. 38. Sed et vulgus promiscuum innumerable ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis. 39. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant; et fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere simentibus moram; nec pulmenti quidquam occurreret preparare. 40. Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. 41. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. 42. Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis. 43. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Hæc est religio Phase; omnis alienigena non comedet ex eo. 44. Omnis autem servus emphitius circumcidetur, et sic comedet. 45. Advena et mercenarius non edent ex eo. 46. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. 47. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud. 48. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ; si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. 49. Eadem lex erit indigenæ et colonio qui peregrinatur apud vos. 50. Feceruntque omnes filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron. 51. Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per furmas suas.

Vers. 4. 1. DIXITQUE DOMINUS: — eodem mense primo, puta Nisan, id est martio, aliquot diebus ante exitum ex Ægypto et ante eadem primogenitorum; hæc enim contigit 18 die mensis, hic vero jubentur die decimo mensis ejusdem tollere agnum, 14 die immolandum. Ergo ante eadem, adeoque ante decimum diem hæc dicta sunt a Deo, et promulgata a Mose. Quare et ante ultimum Moysi

cum Pharaone colloquium, de quo in fine cap. x, et initio cap. xi, hæc dicta sunt. Est ergo hic hysteron proteron; voluit enim Moses omnium signorum et plagarum Ægypti historiam simul prius pertere, ac deinde enarrare egressum Hebræorum ex Ægypto, cui præmittit ritum phase sive agni paschalis, qui egressus et liberationis fuit symbolum et tessera.

2. MENSIS ESTE, VOBIS PRINCIPIUM MENSUM: PRIMUS ERIT IN MENSIBUS ANNI. — Hic mensis est Nisan, qui martio nostro respondet, vel partim martio, partim aprilis. Josephus eum a Graecis Xanthicis, ab Aegyptiis Pharmuti appellari assertit. Utebantur enim mensibus lunariibus Hebraei, puta, quos luna suo cursu describit; hic autem cursus lunae non est peragratiōnis Zodiaci: hunc enim peragrat luna 27 diebus, nec illuminationis, nam hic peragitur 28 diebus; sed conjunctionis lunae cum sole: numerando enim dies, qui ab una conjunctione lunae cum sole interfluunt usque ad aliam conjunctionem, quando luna rursus relicta a sole apparere incipit, facitque neomeniam sive novilunium, qui primus mensis est dies, efficitur mensis lunaris, qui constat 29 diebus, et 12 insuper horis, quae 12 hōre alternis mensibus junguntur, ut integer dies confletur, v. g. si huic mensi dentur 29 dies, sequenti dabuntur 30, tertio rursus 29, quarto 30, et ita consequenter. Hinc fit ut annus lunaris, constans duodecim lunationibus sive mensibus, habeat dies 354, sique minor anno solari undecim diebus. Quare ut annum lunarem solari aequarent, nunc tertio, nunc secundo anno decimum tertium addebant mensem, geminando ultimum Adar, id est, februarium, quem proinde *veadar*, quasi secundum Adar vocabant, perinde ac annus ille vocabatur embolismalis sive excrecens: ita fiebat ut singulis 19 annis, plane idem esset exordium anni solaris et lunaris; nam septies geminato Adar, videlicet anno tertio, sexto, octavo, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, et decimo nono, dies 209, qui in anno, solari supra lunarem per 19 annos supercreverant, ad unum omnes reddebantur per septem hosce menses insertos, ut facile videbis, si numeros subducas, et sex mensibus, qui intercalantur, tribuas 30 dies, septimo vero mensi et ultimo anni decimi noni des dies 29. Ita Beda, lib. *De Rat. temporum*, cap. XIII, et Abulensis, in XIII *Levit.* Quaest. XIX. Vide Riberam, lib. *V de Templo*, cap. II.

Unde Hebraeorum hic est canon embolismi sive intercalationis: ter, ter, bis, ter, ter, ter, bis, q. d. Mensis intercalandus est anno tertio, et sexto, et octavo, et 11, et 14, et 17, et 19. Ergo annis 19 inserebant septem menses intercalares; cadebat ergo embolismus tertio quolibet anno vel secundo: itaque annos lunares suos aequabant annis solaribus, quibus aliae gentes communiter utebantur. Tunc se et sua tempora accommodarent.

PRIMUS ERIT. — Ergo ante non fuerat primus; itaque ante phase, et ante hanc liberationem Hebraeorum ex Aegypto, primus mensis erat Tisri (quae vox apud Chaldaeos significat initium, ait Josephus), qui partim septembri, partim octobri nostro respondet, idque clare colligitur ex cap. XIII, vers. 46, ubi loquens Dominus de festo Tabernaculorum, quod in mense septimo, puta

Utebantur Hebraei mensibus lunariibus.

Novilunium erat prima dies mensis.

Annus lunaris solari minor undecim diebus.

Annus embolismalis quis?

Aspicitur anni variam apud varias gentes.

Unde cognoscitur mensis primus sive paschalis?

Nomina mensium Hebraeorum.

Scriptura utitur anno secundo.

Elogia primi mensis Nisan, sive paschalis.

Vers. 2.

Tisri, celebratur, ait: « Custodies solemnitatem quae in exitu anni; » atqui ubi exit et desinit annus praecedens, ibi sequens incipit: ergo in Tisri, puta in septembri, desinebat et incipiebat olim annus. Unde et cap. XXIV, vers. 22, eadem vocat solemnitatem, qua, vel « quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. » Hinc et S. Hieronymus in cap. I *Ezech.* scribit mensem octobrem apud omnes Orientales esse primum.

Ubi obiter nota: Athenienses inchoabant annum a solstitio aestivo, Asiam ab aequinoctio autumnali, Arabes et Damasceni ab aequinoctio verno, a quo etiam Romani ante Numam Pompilium initium anni faciebant, decem tantum mensibus annum definiētes; Numa vero addidit januarium et februarium: unde Ovidius, *I Fast.* : Qui Janum sequitur, veteris fuit ultimus anni.

Post Numam vero Julius Caesar redegit annum ad eum computum, quo jam utitur, ut scilicet inchoetur annus mox a solstitio hiberno, puta a januario. Vide Solinum Polyhist. lib. *De diebus intercalariis*, cap. I.

Cepit ergo hic in exitu Hebraeorum distingui annus vulgaris sive communis a sacro: vulgari incipiebat a Tisri, sive septembri, serviebatque jubileo, ut patet *Levitici* XXV, vers. 9, 10; item contractibus et negotiis saecularibus, ut docet Josephus, lib. I *Antiq.* IV. Sacer vero a Nisan, id est martio (hoc enim mense tam Judaei, quam Christiani celebrant pascha), ut incipiat, hic instituitur et praecipitur ad hoc ut festis serviat, idque in memoriam salutis acceptae, et liberationis ex Aegypto. Voluit enim Deus initium anni esse initium salutis et beneficiorum suorum: sicut enim novi post Noe et diluvium saeculi auspiciū, voluit esse iridem, quae perenne esset monumentum foederis, misericordiae et gratiae divinae, quod nunquam deinceps diluvio orbem obrueret, sic et nunc a circumcissione Christi, puta ab inchoata ejus redemptione, annum ordimur.

Scriptura autem semper utitur anno sacro, ut patet *Zachar.* VII, vers. 1; *I Machab.* IV, 52; *Esther* cap. III, vers. 7. Vide Riberam, *Aggai* II, initio.

Nota elogium mensis Nisan. *Primum* est, quod in Nisan celebratur Pascha, festum celeberrimum. *Secundo*, in Nisan Hebraei ingressi sunt terram promissionis, ut patet *Josue* IV. *Tertio*, in Nisan mundus creatus est. *Quarto*, in Nisan Christus conceptus est, passus est et resurrexit. *Quinto*, Nisan vocatur mensis novarum frugum: eo quod circa martium in Palestina segetes, maxime hordei, maturare incipiunt. Atque haec sunt causae, cur in vere, puta in Nisan, Phase celebrari voluerit Deus. Audi S. Ambrosium, *De Pascha myst.* II: « Est, inquit, pascha in vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum reparatio, ac tetræ hiemis nocte discussa, primi veris restituta juventus. Hoc tempore visibilibus, et invisibilibus conditor Deus, defixa humo

caeli machinam suspendens, diem solis ardore radiavit, » etc.

Queres, unde cognosci et discerni possit, quis sit primus mensis, sive Nisan, in quo celebrantur est pascha.

Respondet, mensis primus et paschalis est is, cuius 14 dies, sive plenilunium, incidit vel in ipsum aequinoctium vernum, vel primo post ipsum: quo fit ut novilunium primi mensis, nec ante diem octavum martii, nec post quintum diem aprilis esse queat. Aequinoctium vernum tempore Nicaenae Synodi incidebat in diem 13 martii, ubi etiam nunc post Gregorianam Calendarii correctionem locum habet; hinc fit ut Nisan nunquam possit esse totus intra martium, sed semper in aprilē excurrat: licet fieri possit ut aliquando totus sit extra martium, nunquam tamen potest esse totus extra aprilē; potest tamen aliquando totus esse intra aprilē; ut plurimum tamen partim cum martio, partim cum aprilis concurrat, et interdum in maium excurrit, si nimirum sit annus embolismalis, sive uno mense *veadar*, qui Nisan antecedit, adauctus. Ita ex Clavio Pererius. Denique audi S. Ambrosium, epist. 83 ad *Episcopos Emilitiae*: « Si, inquit, incididerit decima quarta dies in diem Dominicam; quia neque die Dominica jejunare debemus, neque decima tertia luna die sabbati incidente, jejunium solvere, quod maxime die passionis Christi est exhibendum: in alteram hebdomadam celebratis pascha est differenda. Si quidem sequitur decima quinta luna, qua passus est Christus, et erit secunda feria: tertia quoque feria erit decima sexta luna, qua caro Domini in sepulcro quievit; cum quarta ejus feria decima septima luna futura sit, qua Dominus resurrexit. »

IN MENSIBUS ANNI. — Nota: *Primus* mensis Hebraeorum est Nisan, qui congruit martio; *secundus* Jiar, qui cum aprilis convenit; *tertius* Sivan, qui cum maio; *quartus* Tammus, qui cum junio; *quintus* Ab, qui cum julio; *sextus* Elul, qui cum augusto; *septimus* Tisri, qui cum septembri; *octavus* Marchesuan, qui cum octobri; *novus* Kisleu vel Kaslen, qui cum novembri; *decimus* Tivet, qui cum decembri; *undecimus* Shebet, qui cum januario; *duodecimus* Adar, qui cum februario congruit.

Nota, haec nomina, Nisan, Jiar, Sivan et cetera, non esse Hebraea, sed Chaldaea, quae Hebraei a Chaldaeis acceperunt in captivitate Babylonica: unde non nisi in libris post captivitatem scriptis, puta in Zacharia, Esdra, Esther et Machabaeis reperuntur: nam ante vocabantur ordinis numerali, mensis primus, secundus, tertius, et cetera, incipiendo a martio; sicut et Romani vocant quintilem, sextilem, septembrem, octobrem, novembrem, mensem quintum, sextum, septimum, octavum, nonum a martio, qui olim apud Romanos quoque fuit primus anni mensis.

3. LOQUIMINI AD UNIVERSUM COETUM FILIORUM ISRAEL. — Loquimini vos senioribus, ut ipsi sigillatim cuique e populo illud idem edicant; nam cœtum omnem Hebraeorum congregari nunquam passus fuisset Pharo: secreto vero eo inscio cœtum hunc congregare erat impossibile. Sic cap. IV, vers. 29, dicitur Moses congregasse seniores Israel, et mox tamen, vers. 30, dicitur locutus populo, videlicet quem referebant seniores: quod enim senioribus dicebat, hoc toti populo censebatur dicere.

DECIMA DIE MENSIS HUIUS TOLLAT UNUSQUISQUE AGNEM. — Puta quatuor diebus ante agni immolationem, quae fieri debebat 14 die. Jussit hoc Deus, *primo*, ut hisce quatuor diebus vitium, si quod esset in agno, se proderet: debebat enim esse anniculus, integer, omnis macula expertus; *secundo*, quia ipsa decima quarta die toti ad exitum se comparant Hebraei, non habuissent otium agnum conquirendi; *tertio*, ut agni aspectu et voce monerentur comparare sese ad ejus sacrificium et opulum, simulque ad exitum ex Aegypto. « Quoties enim agnus balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus exitus castrorum acies excitabat, » ait Rupertus. *Quarto*, ut ex frequenti aspectu agni, occasionem haberent inter se sermociandi de redemptione sua ex Aegypto, Deoque pro ea gratias agerent, in eumque spe tota defixi non formidarent Aegyptios. Addit S. Epiphanius, *heresi* 50, Judæos ab hac decima die usque ad decimam quartam, per quinque dies jejunare solitas.

Porro non tantum hoc primo egressus anno, ut vult Pererius, sed deinceps singulis annis hoc decimo die comparari solere agrum hunc a Judæis, indicat Epiphanius jam citatus, S. Chrysostomus in *Catenâ*, S. Thomas et Lyranus in *Joan.* XII, Rupertus in cap. X et XI *Joan.*, Anselmus in cap. XXI *Matthæi*, Beda, hom. in *Dominica palmarum*. Unde et hac die decima, puta Dominica palmarum, Christus hoc agno figuratus, ingressus est Jerusalem cum ramis palmarum, immolandus post quartum diem, puta die Veneris, ut Toletus in cap. XII *Joannis*, et alii observant.

TOLLAT UNUSQUISQUE, — paterfamilias, nisi tam exigua sit familia, ut alteri jungi debeat, eo quod non sufficiat ad totum agnum comedendum: nil enim ex agno relinqui poterat. Tradunt Rabbinii, et Josephus lib. VII *Belli*, cap. XVII, non pauciores quam decem adhiberi solere ad eum unius agni. Unde ex agnis 236 500, in paschate immolatis tempore Cestii Praesidis, sub quo Romanis rebellare ceperunt Judæi, colligit Josephus tunc Hierosolymae fuisse Judaeorum trigies centena et septuaginta millia, praeter impuros; hi enim ab esu agni arcebantur.

AGNUM. — Hebraeum *אֶזְרָא* *set* significat peccidum tam ovinam quam caprinam, id est, tam hædum quam agnum; tam ergo hædus quam agnus poterat immolari, et esse phase, uti dicam vers. 3 et 21, idque ut significaret Christum, qui

Deimo die querebatur agnus ab agnoscitur causae.

Allegorico Christo.

Christus sibi est agnus.

obis
hadus
Car
agnus
vidit
Deus,
non vitu-
lum?

in se est agnus, sed nobis est hadus, quia nostra peccata in se luenda suscepit. Ita Rupertus. Querens, cur agnum vel hadum potius quam vitulum aut porcum elegit Deus ad Phase? Respondet Lyranus, ut destrueret idololatram Ægyptiorum, ab eaque Hebræos avocaret: Ægyptii enim colebant Jovem in figura arietis; jussit ergo Deus agnum, sive arietem parvum, occidi et immolari. Verum sic potius vitulum elegisset: Ægyptii enim colebant maxime Apim in specie bovis aut vituli.

Resp.
Primo.

Secundo.

Tertio.

Dico ergo Deum elegisse agnum, quia is parvi erat pretii, et a qualibet etiam paupere familia emi poterat. Secundo, quia agnus est animal mundum et simplex; hinc Festus Pompeius: «Agnus, inquit, dicitur a Græco ἀγρός, quod significat castum; eo quod agnus sit hostia pura et immolationi apta.» Unde et S. Cyprianus, tract. De Litore: «Christus, inquit, plebem suam agnos vocat, ut agnorum naturam simpliciter simplicitas mentis imitetur.» Tertio, quia agnus expressus erat typus Christi, qui in paschate quasi agnus mansuetus, innocens et purissimus immolatus est pro nobis, *Isaia* LIII, 7, et *Jerem.* XI, 19; unde et Joannes Baptista, *Joan.* cap. I: «Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.» Denique apposite immolantur agnum in Nisan, cum sol est in ariete: aries enim animal respondet arietis sideri in celo; aries autem animal patens est agni. Ita Burgensis.

PER FAMILIAS ET DOMOS. — In eadem enim domo poterant esse plures familie, quarum quælibet, si erat magna, sumum habebat et comedebat agnum (1).

Vers. 5.
Agnus
debebat
esse sine
macula.

5. ERIT AUTEM AGNUS ABSQUE MACULA, MASCULUS, ANNICULUS. — «Absque macula,» non coloris, sed deformitatis, claudicationis, scabiei, alteriusve vitii aut morbi; debet enim esse תמים *tamim*, id est integer, ut habent Hebræi; hoc enim est quod de victima qualibet dicitur *Levit.* XXII: «Omnis macula non erit in eo: si cæcum fuerit, si fractum, si cæcitatem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.»

Innocen-
tie sacrifi-

Tropologicè, victima Dei debet esse pura et innocens. «Nihil, inquit Lactantius, lib. VI *Divin. Instit.*, sancta et singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam; quam si quis obtulerit, Deo satis pie religioseque litavit.» Pio S. Gregorius, lib. II *Moral.*: «Sic vixi, ait, ut accusatorem exterius non timerem: utinam sic vixissem, ut intra me ipsum accusatorem conscientiam non haberem!» Socrates, ad mortem damnatus, Apollodoro comploranti, di-

(1) Hebr. est, pro domo patrum. Hoc vult Moses: Si familia, sive domus patrum, paucioribus hominibus constat, sumant unum agnum hadamve si vero numerosior est, sumant per singulas domos. Nam in una familia possunt plures esse domus, quæ unam eundemque patrem habent.

centique: «Innocens morieris? Quid, inquit, num me nocentem mori malles?» Ea igitur mors libenter subeunda est, in qua criminis innocentia homo excusatur, testis Xenophon in *Apolog. pro Socrate*. Sic enim innocentes moriuntur agui. «Christus, inquit S. Cyprianus supra, suos oves nominat, ut innocentia Christiana ovis æquetur;» et S. Laurentius Justinianus, *De Discipuli. monast.* cap. VII: «Delectatur, inquit, Dominus Jesus in gravitate vite, in cordium puritate, et in perfectione servorum suorum;» et S. Chrysostomus, hom. 6 in *Matth.*: «Sicut, inquit, in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda.» Quin et Xistus Pythagoricus: «Templum, inquit, sanctum est Deo, mens pii, et altare est optimum ei cor mundum et sine peccato.» Et Titus Imperator: «Nemo, ait, me injuria aut contumelia afficere potest: quia nihil ago quod alios ledere possit.» Agis rex, ad mortem damnatus, licitori comploranti ait: «Omitte pro me has lacrymas; nam injuste moriens melior sum his qui me morte damnarunt.» Et Phocion socio comploranti: «Non tibi, inquit, Evippe, satis est cum Phocione mori?» scilicet innocente.

Secundo, debet esse masculus, quia hic præstantior est femella; præstantiora autem Deo sunt immolanda. Rursum, quia est typus Christi Domini, qui masculus est ille inusitatus draconi, *Apoc.* XII; hic enim nihil habet femine, id est molle, fluxum et instabile. Unde dicitur rectoris gentes in virga ferrea, inquit Rupertus.

Tropologicè masculos animos, et mascula opera offerri sibi vult Deus, tales victimas sibi deprecatur, viros optat, non feminas. «Vir, inquit Cassiodorus in *Psal.* I, vocatus a viribus est, qui neseit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elevatione se jactare, sed animo stabili defixus, et celestium rerum contemplatione firmatus manet semper impavidus.» Et S. Gregorius, lib. V *Moralium*: «Fortitudo, ait, non nisi in adversitate ostenditur; tanto enim quisque ad fortitudinem proficiscere se demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. Nam minus in se convaluit, quem aliena iniquitas sternit, qui in eo quod ferre non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus jacet.» Idem rursum: «Fortes, ait, facti sunt Sancti, carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, celestia appetunt; occidi possunt, flecti autem nequeunt; nec lesi unquam a veritate contocentur.»

Addit Moses masculum agno; licet enim agnus ab agna apud Grammaticos genere distinguatur, tamen apud Rhetores sæpe agnus non sexum, sed speciem animalis discriminat, ut cum dicimus: Agnus est, non vitulus, id est, est speciei agninae, sive agnus sit, sive agna: maxime quia Hebræum חסד utrumque sexum, tam agnam quam agnum significat.

Anni-
tas.

Tertio, hic agnus debet esse anniculus, hebræus *annis anni*, id est, habens vel agens annum, putat talis, ut non excedat annum ætate, etiamsi annum non compleverit; poterat enim post octavam a nativitate diem immolari, ut patet *Levit.* XXII, 27. Exigit Deus agnum unius anni, quia, ut ait Niceas in Nazianzeno orat. 2 *De Pascha*, agni unius anni spatium in perfectam ætatem adoleverunt, ita ut generare possint, ait Hesychius in *Levit.* cap. XIV.

Mystico.

Symbolicè, sicut sol per annum cursum suum absolvit, omnia progignit, et ad sui exordium redit: ita Christus, qui est sol justitiæ, sui semper similis, in se rediens, virtutum orbem progignit. Ita Nazianzenus *ibid.*

Propo-
siti-
onem
sunt, qui
a pueri-
tis se di-
cunt Deo.

Tropologicè, vult Deus nos a teneris sibi servare, sibi que primam ætatem dicere, ut fecit Christus. B. Virgo, S. Joannes Baptista, S. Nicolaus, S. Agnes, et alii illustres Sancti. Audi Hugonem Victorinum, lib. III *De Claustro animæ*, cap. X: «In illa ætate quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valeudo corporis vires subministrat, juvenilis ætas longioris vite spatium reprimittit; quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incensus recitor, vultus juvenior: qui in hac ætate se domant et Deo sociant, præmium Joannis expectant.» Et rursum: «Tales, ait, offerunt hostiam viventem, Deo placeantem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda onerentem. Audiat hoc senum sera conversio, quibus ex defectu senectutis aëres obturantur, oculi turbantur, et, ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se per se deficient. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed, ut ita dicam, porcum curatum. Sicut enim porcus in immunditatis, sic senex jacens in vitii; et sicut porcus siliquis pascur, sic senex fabulis et rumoribus delectatur.»

Quæ ce-
remonia-
lia ser-
vant ad-
huc Ju-
dæi, quæ
non?

Nota: Judæi in paschate adhuc hoc nostro tempore vescuntur azymis, sed non immolant agnum, quia agnus secundum legem *Deut.* cap. XVI, vers. 2, immolari debet Hierosolymæ, ubi erat templum: jam autem Judæi et templo et Hierosolyma carent.

Ubi adverto Judæos non servare ea cæremonialia, quæ jussit Deus in templo fieri, seu quæ ordinem dicunt ad templum: tales sunt oblationes, sacrificia, decime, annus jubilei, purificationes et purgationes, immolatio primogenitorum, eorumque redemptio; hæc enim omnia debebant fieri in templo: cum ergo templo careant Judæi, non possunt ea modo præstare. Alia vero quæ non sunt jussa fieri in templo, illa etiam hodie servant Judæi: talia sunt circumcisio, esus azymorum, jejunia, quies sabbati et aliorum festorum: festa enim servant Judæi, quoad quietem, non autem quoad sacrificia, quæ ex lege illis festis fieri debent; hæc enim non nisi in templo fieri possunt. Judicaria enim præcepta

observarent Judæi, sicubi ex sua gente haberent tribunal et judices, qui secundum legem Mosi judicarent et punirent.

JUXTA QUEM RITUM TOLLETIS ET HÆDUM. — Si nimirum desit agnus, tunc loco agni tolletis hadum instar agni immaculatum, masculum, anniculum; neque enim jubet Deus ut agnum accipiant simul et hadum (neque hoc unquam fecerunt Hebræi), sed vel agnum, vel hadum. Id patet ex Hebræo, qui sic habet: «Erit pecus mascula, ex agnis, et (id est aut) ex capris accipietis eam.» Et ex Septuaginta qui sic habent: ἀγνός τὸν ἀρνίον, ἢ ἀγνός τὸν ἀρνίον καὶ ἢ ἀγνός τὸν ἐπίγειον κίβδηλον, id est, agnus erit perfectus, masculus, immaculatus, ab agnis et (id est aut) hædis accipietis eum. Neque enim utrum eundemque agnum poterant ab hædis simul et ab ovis accipere. Ita Theodoretus, Rupertus, Hugo, Abulensis, Cajetanus, Lipomanus, Errant ergo primo, Hebræi nonnulli, qui in magnis familiis putant pro agno immolari potuisse vitulum, idque probant ex illo *Deut.* VI: «Immolabis Domino phase de ovis et de bobus;» sed alius illius loci est sensus, uti ibi dicam.

Errat secundo, Burgensis, qui negat pro agno immolari potuisse hadum. Hebræa, inquit, sic habent, «ex arietibus et capris accipietis eum,» g. d. Agnum accipietis e grege, in quo de more sunt arietes et capre associati. Hoc enim refellit noster Interpres disertè hic, cum verit, «juxta quem ritum tolletis et hadum;» omnesque Interpretes tam Latini quam Hebræi id ipsum confutant.

Errant tertio, alii, qui putarunt agnum a singulis familiis decima quarta die, hadum vero a toto populo decima quinta die debuisse immolari: quos pluribus refutant Abulensis et Lyranus.

6. IMMO LABITQUE EUM UNIVERSA MULTITUDO FILIORUM ISRAEL AD VESPERAM. — Ergo agnus fuit victima, ejusque immolatio fuit sacrificium, ut patet cap. XII, vers. 3, et *Num.* cap. IX, vers. 7.

Nota primo: «Immolabit,» scilicet decima quarta die, ut præcæsit: Judæi ergo ipsa decima quarta luna, in quacumque diem incideret, immolabant suum phase; Christiani vero post Concilium Nicanum non decima quarta luna, sed Dominica illam proximè sequente suum Pascha celebrant, in honorem resurrectionis Christi. Pascha enim nostrum non est transitus de vita ad mortem, qualis erat agni veteris, sed de morte ad vitam, qui sacrificii Christi in cruce fuit terminus. «Pascha enim nostrum non passionis, sed lætitiæ est et resurrectionis,» ait S. Ambrosius, *epist.* 83.

Nota secundo: Traditio fuit apud præsores Hebræos, Messiam eodem die illaturum plenam Libertatem Hebræis, quo ipsi per phase liberati erant ex Ægypto, uti refert Andreas Masius in *Josue* cap. V, vers. 10. Sicut ergo illo die fuit plenitudo, quo luna opposita sol: toti lucebat

Pro agno
cum pobi-
rat acce-
pi vitu-
lum?

Vers. 8.

Christia-
ni post se
celebrant
in Domi-
nica ad
honestam
Christi
resurrex-
tionem.

Allegorie
de
Christo.

Allegorie Rupertus : Agnus immolatus in plenilunio, id est, Christus venit et immolatus est in plenitudine temporum, ad Galat. cap. iv, vers. 4. Secundo, agnus immolatus est post equinoctium verum, cum lux et dies crescant, noctemque et tenebras superant, id est, ab immolatione Christi cepit justitie lux peccatorum tenebras superare. Tertio, a ipse mensis Nisan, id est, aprilis verna temperies, cum tellus reflorescit, totusque post hiemem, quasi post senium rursus juvenescit orbis, nonne sensatum hominem docet, quatenus spiritus mentis suae renovatus, et fide viriditas, speque letus, et charitate floridus, spiritualibus agni paschalis intersit epulis? inquit Rupertus.

UNIVERSA MULTITUDO. — Hinc patet sacerdotes non immolasse hos agnos paschales in templo, uti sensit Claudius Sainetes, I *Repetit. Eucharist.* cap. vii; Abulensis in *Exodi* xvi, et ex eo Serarius in *Josue*, cap. v, *Quest.* xlii; sed quemque patremfamilias nomine totius familiae, domi suae agnum immolasse : hoc enim tempore necdum legales sacerdotes Aaronici eorumque sacrificia erant instituta. Idque expressit Philo, lib. iii *De Vita Mosia*, et Josephus, quos sequitur Franciscus Suarez, III *Part.*, tom. II, disp. xl, sect. 2; et licet postea instituti sint sacerdotes Aaronici, tamen patresfamilias in antiquo suo jure et ritu immolandi phase permanserunt, eaque ex parte priscum jus sacerdotii, quod primogenitis vel patribusfamilias competeat, retinuerunt. Id confirmatur ex eo, quod plures erant familiae, et consequenter plures agni paschales quam Levitae; nam sub Cestio, uti jam dixi, agni paschales numerati sunt 256 500; clarum autem est Levitas longe pauciores fuisse.

Dices : I *Esdrae*, cap. vi, vers. 20, dicuntur sacerdotes et Levitae purificati, ad immolandum pascha universis filiis transmigrationsis.

Respondeo : « Pascha » ibi sumitur pro omni sacrificio paschali, tam agni quam aliarum victimarum : alias enim victimas soli sacerdotes immolabant, etiam in paschate; agnum vero patresfamilias immolabant, nisi immunditia legali pollutus foret : tum enim videtur Levitis id negotii ab Esdra datum fuisse, uti et iisdem idipsum datum est II *Paral.* cap. xxx, vers. 17 et 18.

AD VESPERAM. — « ad solis occasum, » ut dicitur *Deuter.* cap. xvi, vers. 6. Hebr. est, *inter duas vesperas*, Chald. *inter duas soles*. Nota : vespera proprie est tempus diei, quod est post occasum solis, et ante principium noctis. Unde *Judic.* cap. xix, dicitur : « Considera quod dies ad occasum accilivior sit, et propinquet ad vesperam. » Hinc *Levit.* cap. xxiii, vers. 32, praecipitur ut festos dies agant a vespera in vesperam, id est, solis

occasu ad alterum solis occasum. Verum vulgari et communi usu vespera non tantum tempus post solis occasum, sed etiam tempus ante occasum, eum sol jam ad eum vergit, significat.

Queres ergo, quod sit tempus « inter duas vesperas, » quo immolandum erat agnus, ut habent Hebraei?

Primo, Lipomanus respondet tempus inter duas vesperas esse noctem, quae inter vesperam diei decimae quartae, et inter crepusculum matutinum (quod diei potest vespera) diei decimae quintae interjecta est. Verum sic agnus non vesperae, sed nocte pertinente non ad decimam quartam, sed ad decimam quintam diem immolatus fuisset, quod repugnat S. Scripturae.

Secundo, Hebraei, Chaldaei, Lyranus et Abulensis : Prima vespera, inquit, est declinatio solis a meridie versus occasum; secunda, est ipse solis occasus : inter has duas immolandum erat agnus. Verum insolens est totum tempus pomeridianum vocare vesperam.

Tertio, Oleaster, Aben Esra et alii putant primam vesperam esse solis occasum, secundam esse initium noctis sive tenebrarum; inter has enim intercedit crepusculum, puta aliquid temporis quo lumen aliquod solis post ejus occasum in aere adhuc apparet, perinde ut fit mane ante solis ortum (quod proinde dicitur crepusculum matutinum) (1). Verum hoc tempore non immolandum, sed comendendum erat agnus : nam, ut patet *Levit.* cap. xxiii, vers. 5, et *Numer.* cap. xxviii, vers. 16, agnus immolandum erat decima quarta die ad vesperam, sed comendendum cum azyza decima quinta, quae incipiebat a solis occasu, quo fiebat decima quarta : idem patet hic vers. 6 et 8.

Dico ergo primam vesperam esse, cum jam sol declinat ad occasum, secundam esse ipsum solis occasum; et hoc voluit Chaldaeus, cum vertit, *inter duas soles*, scilicet declinantem et occidentem. Idem disertè docet Josephus, qui lib. VII *De Bello Judaico*, cap. xvii, et lib. XVI *Antiq.* cap. x, docet Hebraeos immolare solere paschales hostias ab hora nona usque ad undecimam : nona autem respondet nostrae tertiae pomeridianae; et Cajetanus : « Inter duas vesperas, » inquit, id est, inter occasum solis, quae est una vespera; et inter declinationem solis ad occasum, quae est prior vespera : ita ut tempus hoc circiter duas horas contineret ante solis occasum. Ita et Masius in cap. v *Josue*, vers. 10, Jansenius in cap. cxv *Concordiae*, Pererius, Ribera et alii. Duabus ergo horis circiter ante occasum solis immolabatur agnus et assabatur : post occasum vero nocte cum jam inciperet decima quinta dies, comederatur, ita ut ante mediam noctem esus agni et cena omnis absolveretur.

Queres secundo, an agnus immolari debuisset

(1) Ita et Rosenmullerus ad h. l.

An prima vespera diei 14. an secunda. sit immolatus? Alibi quod praecipiatur.

priore vespera decimae quartae diei, an posteriore? Aliqui neoterici in Hispania, quos fuisse refellit Ribera, lib. V *De Templo*, cap. iii, et Suarez in tractatu *De Eucharistia in azyzo conficienda*, senserunt agnum immolari debuisset priore vespera diei decimae quartae (quae erat posterior vespera diei decimae tertiae, sive decima tertia luna ad vesperam), non autem posteriore, quae erat pridie sive initium decimae quintae diei, puta festi azyzorum : ita ut inter paschae vesperam et primam diem azyzorum intercesserit dies, quo Hebraei ex Aegypto egressi sint, quo an comederint azyza, incertum est, ac proinde incertum etiam esse, an Christus eos sequens in azyzo agnum comaverit, et in azyzo Eucharistiam instituerit, an vero in fermentato, uti volunt Graeci.

Verum huc sententia plane falsa est. Probatur primo, quia « ad vesperam finem diei significat, non principium; ergo decima quarta luna ad vesperam, de decima quarta finiente in secunda vespera, non inchoante a priore vespera intelligenda est. Antecedens patet *Genes.* xxx, 16, *Exodi* xviii, 14, *Levit.* xxiii, 32.

Secundo, *Numer.* xxxiii, 3, dicuntur Hebraei decima quinta die, et altera paschae profecti de Ramesse, id est, exiisse ex Aegypto; ergo pascha incidebat in vesperam praecedentem, puta secundam decimae quartae diei; alioqui enim non altera paschae, sed tertia die a paschate, fuissent profecti ex Ramesse et Aegypto.

Tertio, ipse historiae contextus hoc capite omnino convincit Hebraeos eadem nocte qua comederunt agnum, fuisse egressos ex Aegypto, neque potuisse diem interjici : nam statim ab esu agni caesis primogenitis Aegyptii coegerunt Hebraeos egredi, ita ut panem coquere ipsis non liceret. Unde subdit Moses : « Haec nox observabilis. »

Quarto, Scriptura tantum numerat septem dies azyzorum, eosque integros, videlicet a decima quinta die usque ad vigesimam primam ad vesperam, ita ut primus dies esset is, quo agnus paschalis immolabatur. Ita enim ait S. Marcus, cap. xiv, vers. 1 : « Erat pascha et azyza post biduum. » Et Matthaeus, cap. xxvi, et Lucas, xxii : « Primo die azyzorum, quando pascha immolabant, » idque expressè dicitur hoc cap. xviii et xix. Imo ut Talmudici narant tract. *Peschachim* (de Paschate) nocte agni immolati Hebraei lumine lucernae scrutabantur fermentum, ne quid ejus in domo remaneret. Atqui juxta priorem neoterico-rum illorum sententiam, non septem, sed octo forent dies azyzorum, et agni immolatio non incidere in primum diem azyzorum, sed uno die praecurreret; hoc autem repugnat Scripturae.

Dices : Josephus numerat octo dies azyzorum. Respondeo : Josephus diem incipit a mane, ita ut decima quinta dies ad vesperam festa, sola et

seorsim loco unius computetur; inde mox incipiat decima quinta, et post eam decima sexta; et ita consequenter : tunc enim sunt octo.

Quinto, Christus Dominus decima quinta die in plenilunio, id est, primo azyzorum die festo passus est, ut habet communis Patrum sententia : atqui certum est ex Evangelio, Christum pridie passionis ultimum celebrasse pascha, et ejus loco instituisse Eucharistiam : ergo id fecit decima quarta die ad vesperam posteriorem, sive secundam; Christus autem servavit tempus a lego praescriptum; ergo lex praescripsit vespera non prima, sed secunda, immolandum esse phase.

Sexto, idem probari potest ex Pentecoste : haec enim celebrabatur 50 die a secundo die et festo tam paschae, quam azyzorum; pluribus id probat Ribera et Suarez supra.

Dices : Scriptura numerat dies festos, incipiendo a prima vespera, ut patet *Levit.* xxiii, 32; sic numerat et dies creationis mundi, cum ait, *Gen.* i : « Factum est vespere et mane dies unus : » ergo pariter hic vespera prima, non secunda intelligi debet.

Respondeo primo, nego antecedens. Licet enim dies festi post legem in Levitico datam, celebrarentur a vespera in vesperam, Scriptura tamen dies etiam festos jam inde ab initio mundi, a mane in mane numerat, primusque dies mundi ita intelligitur, ut vespero finiente diurnam lucem, et mane finiente noctem praecedentem, factus sit dies primus, uti dixi *Genes.* i. Vides ergo, et ibi, vesperam accipi non principium, sed finem diei. Respondeo secundo, etiamsi ibi vespera praecedens accipienda esset, inde tamen non concluditur eandem hic accipi debere; aliud enim est dicere a vespera incipere festa, aliud phase incipere decima quarta die ad vesperam.

Dices secundo : Josephus hic ait, instante, vel ut Gelenius vertit, illucescente decima quarta luna, Hebraeos sacrificasse agnum : ergo id fecerunt non in fine, sed in initio, puta prima vespera diei.

Respondeo : Graece in Josepho est *ιεναι*; in aoristo, non *ιεναι*; in praesenti, ac proinde verendum est : Astante, praesenti, val postquam adfuit decima quarta dies. Deinde etiamsi verteres : Instante decima quarta die, intelligendum id esset juxta legem, ad vesperam secundam jam dictam : nam de mente Josephi dubium non potest esse legenti lib. III, cap. x. Aliam objectionem solvam vers. 42.

Dico ergo hanc vesperam fuisse posteriorem decimae quartae lunae, sive decima quarta die jam desinente, decima quinta inchoante, ita ut ritus hic agni fieret partim decima quarta, partim decima quinta die; immolatio enim agni fiebat decima quarta, comestio vero praecise fiebat decima quinta die. Vespera haec enim erat confinium decimae quartae et decimae quintae diei, et una sui parte ad decimam quartam, altera ad de-

Scito.

Objectio Prima.

Solvitur.

Objectio secunda ex Josepho.

Solvitur.

cimam quintam spectabat. Unde Judai et Christus dicuntur immolasse pascha nunc decima quarta, nunc decima quinta die, uti mox dicam. Ubi nota : Licet cetera festa a vespera in vesperam per diem integrum celebrarentur, pascha tamen solum celebrabatur in fine, puta in vespera decima quarta diei, non autem decimo quarto die inchoante. Ergo dies decimus quartus non erat sacer, nec festum, sed tantum ejus vespera secunda, sive finis.

Allegorice, vergente mundi vespera in consummatione sæculorum oblati est Christus, ait Hesyehinus in sup. XIII Levitico, idque in plenilunio, quando luna recepta sui luminis plenitudine, sole jam occidente, in Oriente exoritur, quia moriente Sole justitia, Ecclesia quæ in luna intelligitur, caliginem peccati discutens nova luce exoritur, et ad vitam consurgit. Ita Rupertus et Radulphus in Levit. x. Tertio, sicut Hebræi noctu agnum comederunt, sic et Christus Sacramentum corporis sui eadem nocte nobis manducandum dedit. Quarto, sicuti sequenti luce, id est, primo azy-morum solemnii die holocausta immolabantur, ita et Christus in cruce Deo Patri vivam hostiam se obtulit : uno ergo die, nimirum primo paschali, utrumque obtulit sacrificium, eruentum videlicet, et ineruentum. Hinc Patres docent immolationem agni non minus exhibuisse typum sacrificii Eucharistici, quod fit in Missa, quam sacrificii crucis. Ita S. Leo, serm. 7 De Passione; Cyrilianus, serm. De Cena; Gregorius, hom. 22 in Evangelia; Nazianzenus, orat. 2 De Pascha; Chrysostomus, hom. De Predicatione Judæ; Rupertus et alii.

Anagogice S. Hieronymus, in Marci cap. XIV : « Vespera diei, ait, finem mundi indicat : circa undecimam namque horam venient novissimi, qui primi denarium vite æternæ accipient. »

Vers. 7. 7. ET SIBIEM DE SANGUINE EJUS, AC PONENT SUPER UTROQUE POSTER, ET IN SUPERLIMINARIIBUS DOMORUM, IN QUIBUS COMEDENT ILLUM. — ut viso hoc sanguine agni, angelus percussit domos illas Hebræorum pertranseat, nec percussit eorum primogenita, ut patet vers. 23. S. Hieronymus in Isaiæ LXVI, agens de signo crucis : « Hoc et postes domorum in Ægypto signabantur, quando perenne Ægypto solus Israel mansit illæsus : » quasi sanguis agni postibus illitus fuerit in formam crucis.

Nota in domorum, « in quibus comedit illum. » Hinc enim videtur, quod illi qui alteri domi se junxerant, eo quod pauciores essent numero, in eaque comederant agnum, in eadem quoque domo pernoctarint : nam si redissent ad domum propriam, quæ non erat tincta sanguine agni, in ea percussis fuisset ab angelo. Tales autem erant fere Hebræi illi, qui in domibus Ægyptiorum habitabant : hi enim omnes ad Hebræorum domos iverunt; si qui vero Ægyptii primogeniti erant tunc in domibus Hebræorum, hi ante noctem fo-

Allegorice, vergente mundi vespera in consummatione sæculorum oblati est Christus, ait Hesyehinus in sup. XIII Levitico, idque in plenilunio, quando luna recepta sui luminis plenitudine, sole jam occidente, in Oriente exoritur, quia moriente Sole justitia, Ecclesia quæ in luna intelligitur, caliginem peccati discutens nova luce exoritur, et ad vitam consurgit. Ita Rupertus et Radulphus in Levit. x. Tertio, sicut Hebræi noctu agnum comederunt, sic et Christus Sacramentum corporis sui eadem nocte nobis manducandum dedit. Quarto, sicuti sequenti luce, id est, primo azy-morum solemnii die holocausta immolabantur, ita et Christus in cruce Deo Patri vivam hostiam se obtulit : uno ergo die, nimirum primo paschali, utrumque obtulit sacrificium, eruentum videlicet, et ineruentum. Hinc Patres docent immolationem agni non minus exhibuisse typum sacrificii Eucharistici, quod fit in Missa, quam sacrificii crucis. Ita S. Leo, serm. 7 De Passione; Cyrilianus, serm. De Cena; Gregorius, hom. 22 in Evangelia; Nazianzenus, orat. 2 De Pascha; Chrysostomus, hom. De Predicatione Judæ; Rupertus et alii.

Agnus fuit typus sacrificii tantum Eucharistici quam crucis.

ras emissi sunt : aliqui enim vel omnes primogeniti Ægyptii non fuissent percussi, vel aliqui fuissent percussi in domibus Hebræorum sanguine agni tinctis : quorum utrumque erat contra Dei decretum et mandatum.

Narrat Epiphanius, hæres. 18. Ægyptios memores illius diei, quo a cæde angeli liberati sunt Israhelites, qui agni sanguine postes domorum illinerant, solitos esse intrante equinoctio vernali, accipere rubricam, et illinere omnes vrbiores domosque, clamantes : « Quia in tempo, a hoc ignis vastavit omnia, » contra quam lucem remedium putant ignicolorum sanguineum rubricæ.

8. ET EDENT CARNES NOCTE ILLA ASSAS IGNI, ET AZYMOS PANES CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. — Nota : Agnus hic representabat duplex beneficium liberationis, primo, ab angelo percussente; secundo, ex Ægypto, ex qua Ægyptii timentes majores plagas, festinanter exire compulerunt Hebræos. Rursum in esu agni duo representabantur Judæis. Primo, dura servitus, qua servierunt in Ægypto; hujus symbola erant panes azyini, id est, que insipidi, assatio agni, et lactuce agrestes. Secundo, festinatio qua egressi sunt : hujus symbola erant primo, panis azyimus, qui non habebat tempus cum fermentandi; secundo, assatio agni; tertio, quod non poterant ejus ossa frangere (festinantibus enim non vacabat illi facere) ac exsurgendam medullam; quarto, quod comederant agnum accincli, tenentes baculos in manibus; quinto, quod non possent residuum servare, sed illud igne comburentur.

Nota hic primo, nocte comedendum fuisse agnum : hæc autem nox erat 15 diei. Secundo, per carnes accipe quoque nervos, viscera, et quidquid in agno erat comestibile.

ASSAS IGNI (1). — Nota : Hic erat ritus immolationis agni : primo, jugulabatur agnus; secundo, sanguine ejus aspergebantur postes et superliminare; tertio, detracta pelle intestina vel exempta ex agno, et mox reposita, ut vult Abulensis, vel relicta in ipso agno, ut vult Cajetanus, lavabantur, ut possent cum agno et in agno torreri. Omnia enim testa comedenda erant præter fel, et illa feces continentia quæ abjiciebantur. Quarto, integer agnus, non dissectus (ne os aliquod laederetur), cum capite et pedibus torratur. Quibus adde, non potuisse comedi agnum, nisi a circumcisus, ut patet vers. 48, et non nisi certo loco ubi erat tabernaculum, et postea templum, puta Hierosolymæ, Deuter. XVI, 6. Denique eo ritu qui sequitur.

CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. — Hebræice מורוֹת לְ מֵרוֹרִים, id est, cum amaris, scilicet herbis quibuslibet amarulentis. Ita Chaldaeus, Lyranus,

(1) Ratio præcepti de agno paschali assando, non elixando, multis videtur hæc, quod eius assati festinationem significet, qua Israhelite egressi sunt ex Ægypto; unde non licuit moram trahere ut agnum coquoere potuissent in lebeæ.

Vers. 8.

Agni causam dicitur representabat.

Lactuca agrestis non est assata.

Agnus comedens duo cum assatio, dicitur, et sic hunc locum explicat Oleaster.

Ubi significatur perhibere præsentiam Eucharistiae in paschate.

Ritus immolationis agni.

Vers. 9.

Pagninus. Verum Septuaginta certam speciem verunt, nimirum מצוֹת : quod Theodoros Gaza nunc amaraginem, nunc lacteam agrestem vertit (ita ipse in lib. IX Aristotelis, De Histor. animalium, cap. VI), quæ, teste Dioscoride, amara est gusta : unde licet Ruellius, lib. De Herbis S. Scriptura, putet hanc lacteam esse endiviam, tamen verius videtur proprie fuisse hanc lacteam silvestrem, quæ, inquit Abulensis, est instar lactuce horlensis, minor tamen illa, et asperi amarique saporis : hunc enim amarorem significat vox Hebræa et Græca : nam endivia non est amara, sed potius suavis et grati saporis. Jussit Deus has lactucas amaras cum agno adhiberi, ut per eas recordarentur Hebræi, inquit Theodoretus, amarissimam in Ægypto servitutis; ex qua eos educebat, quo sic exultarentur ad Dei laudem et gratiarum actionem. Unde S. Ambrosius legit, cum amaritudine, quasi præceptum esset Hebræis, ut agnum ederent cum amaritudine quadam animi; et sic hunc locum explicat Oleaster.

Tropologice, præcepit Dominus amaras mandatorum Christi sermones, cum ipso Sacramento Dominicæ passionis devorari (ait S. Ambrosius, serm. De Grano simonis), ac nominatim contritionem et penitentiam premitendum esse Eucharistia, præsertim in ipsa hebdomada sancta paschali. De qua S. Epiphanius, hæres. 70 : « In diebus, inquit, paschatis, quando apud nos sunt humilationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigilia, jejunia, et omnes animarum salutis per sanctas afflictiones; » et S. Chrysostomus, hom. 30 in Genes. : « Nunc, ait, fideles et jejunium intendunt, et vigillas, et pernoctationes sacras, et elemosynas faciunt, ut hebdomade huic honorem habeant; » et S. Bernardus, serm. Feria quarta hebdomada penosa : « Universi, inquit, Christiani hæc septimana, aut præ solatio, aut præter solitum pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodam modo compati vigeantur. Quis enim tam irreligiösus, qui non compungatur? quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam deliciosus, ut non abstineat? quis tam malitiosus, ut non peniteat his diebus? »

9. NON COMEDETIS EX EO CRUDUM QUID, NEC COCTUM AQUA, SED ASSUM TANTUM IGNI. — « Crudum, » ita vertunt et Septuaginta, et passim Hebræi ac Latini : temere ergo Oleaster hebr. כֹּסַב na vertit factum vel dissectum. Vetat Deus crudum agnum comedi : tum quia hoc inhumanum est : horret enim homo comedere carnes crudas; tum quia cruda caro insalubris est et vix ab homine digeri potest; tum ne postea inter edendum carnem crudam fastidientes abjicerent. Est enim in aliquibus, licet paucis, hominibus et gentibus, ferus et barbarus hic appetitus comedendi carnem crudam, quem Deus hic vult frenari et aboleri : rudibus enim Hebræis quasi pueris, singula etiam

vulgaria, solita et obvia minutim et exacte prescribit (1).

Tropologice, cruda caro, inquit S. Gregorius, hom. 22 in Evang., est inconsiderata et irreverens divina bonitatis et excellentia consideratio, aut potius oblitio : sic crudum comedunt in Eucharistia, qui non considerant excellentiam tantæ Sacramenti, et dignationem, ac præsentiam Dei Domini nostri, qui nos suo corpore et sua deitate pascit.

Nec coctum aqua, sed assum tantum igni. — Tum quia citius assantur carnes, quam lixantur : assatio ergo festinationis Hebræorum, parantium se ad exitum, fuit symbolum; tum quia assatio significabat Hebræos in Ægypto in aestu, latere et luto fuisse quasi assos et tostos, jamque inde per esum agni hujus assati liberari; tum quia magis carnes solidiores sunt nutritim, ideoque assas roborant laborantes, quales erant Hebræi iter ingens facturi : carnes enim elixæ resolvuntur in humorem jurentum, ideoque multum substantiæ ex se in eum emittunt et deperdunt.

Allegorica et potissima causa fuit, ut assus agnus significaret Christum amore nostri in cruce tostum; nam agnus in crucis formam expansus assabatur : alter enim erectus paxillis ab imo usque ad caput trajiciebatur; alter vero transversus armos agni assandi distendebat, inquit S. Justinus Contra Tryphonem. Christus enim in cruce nihil habuit aque, id est nihil vilificationis, nihil solatii in pœnis, sed tam dolore, quam amore nostri fuit assus et tostus. Rursum Judæi negantes Christi deitatem, et crude accipientes, que de Messie regno et gloria tradit Scriptura, comedunt Christum crudum. Hæretici Christum comedunt aqua coctum, quia omnia ejus mysteria suo ingenio et humana ratione (hæc enim est aqua) scrutari et comprehendere volunt : itaque per humanam sapientiam sacramenta humanitatis et deitatis evacuant. Catholici vero sobrie et pie mysteria Christi meditantur, et per ea fidem et charitatem accendentes, Christo ferventer servientes, comedunt Christum assum. Ita ex S. Gregorio Pererjus.

CAPUT CUM PEDIBUS EJUS ET INTESTINIS VORABITIS. — Id exprimit Deus, quia caput, intestina et pedes, ulpote ossea et cartilaginosa, vulgo assare non solemus; in agno vero hæc assari voluit Deus, tum quia Hebræi festini non habebant tem-

(1) « Videntur intelligi carnes leviter in cratiella tostas; nam carne crudas carnes comedere nihil intererat veteris, quoniam paucissimi semper fuerunt qui comedunt, quibus quæ hæc semicocta caro refertur, videtur esse præceptum sequens, quo jubentur omnem agnum aut hebidum absumere, aut comburere que superflua erant, si absumere non possent. Caro enim probe cocta facile absuntur, semicocta pars maxima heret ossibus. » Hæc Rosenmullerus ad h. l. Recte Jarchi verba sequentia sic exponit : « Assate eum (agnum) totum simul cum capite ejus et cruribus ejus, ac cum interioribus ejus; intestina reddantur ventri, postquam abluta fuerint. »

Tropologice, qui crudum comedunt, agnum.

Agnus cuius deus?

Agnus in formam crucis expansus assabatur.

Christus enim nostri in cruce assabit.

pus ea lixandi; tum quia Deus agnum integrum manere voluit; tum quia significabat Christum. in quo haec maxime assa sunt, nimirum viscera compassione et amore nostri, pedes clavis, et caput spinea corona.

10. NEC REMANEBIT QUIDQUAM EX EO USQUE MANE: SI QUID RESIDUUM FUERIT, IGNE COMBERETIS. — quia festini summo mane discedetis. Hinc ne agni reliquis comeditis, aut convasandis occupemini, aut ne illas a profanis profane extra tempus sacrificii comedi contingat, vel a canibus vorari, vel etiam putrescere, eas igne in Dei honorem consumi volo, sicut igne Deo assate fuerant; idque sequentibus deinceps annis eodem modo observari volo, ut primi hujus exitus et festinationis jugem recolatis memoriam.

11. SIC AUTEM COMEDETIS EUM: RENES VESTROS ACCINGETIS, ET CALCEAMENTA HABEBITIS IN PEDIBUS, TENENTES BACULOS IN MANIBUS, ET COMEDETIS FESTIVANTER. — Omnia haec festinationem indicant, sicutque viatorum ad iter longum et laboriosum accinctorum; hinc calceos induere jubentur.

Adde: calceus erat signum libertatis, ut dixi ad Ephes. cap. VI, vers. 13. Hactenus enim Hebraei quasi mancipia in Aegypto nudis iverant pedibus ad agros, et opera sua durissima: nunc jubentur calceati incidere, instar ingenuorum et liberorum. Nota hypallagen Hebraeam, habebitis calceamenta in pedibus, id est, habebitis pedes in calceamentis, sive calceatos. Sic dicunt Hebraei: Miserunt civitatem in ignem, id est, miserunt ignem in civitatem, eam succendendo.

Addunt aliqui, veteres olim non assedisse mensae, sed discubuisse, ut patet Esther cap. I, vers. 6; Tobia cap. II, vers. 3; I Regum cap. XIX, vers. 22, utque toros non macularent, et commodius conarent, cenatique quiescerent in suis toris, sive lectulis conatoriis, calceos exuebant, quin et pedes lavabant, ut patet Judicum cap. XIX, vers. 21. Unde et Magdalena Christo accumbenti lavit pedes. Hebraei vero hic, quia non ad quietem; sed ad exitum parantur, hinc calceare se jubentur. Verum, an hoc tempore usus accumbendi in mensa fuerit in usu, incertum est; imo Pererius contendit, usum sedendi antiquiorem esse usu accumbendi; nam in mensa Joseph fratres sedebant, non accumbebant, Gen. XLIII, 33.

Nota: Ex eo quod dicitur: «Tenentes baculos in manibus,» videtur quod Hebraei stantes, utpote festini, agnum comederint, idque discrete docet Philo, lib. De Caini et Abelis sacrificio, et innuit Nyssenus, licet id neget Ribera, lib. V De Templo, cap. III, in fine; quorsum enim baculos tenentes manibus, succineci lumbos, et calceati, si non ad iter expediti stabant? Huc sane allussisse, vel potius allegoricum hujus loci sensum dedisse videtur Apostolus, Ephes. cap. VI, vers. 14, cum ait: «State succineci lumbos vestros in veritate, et calceati pedes in preparatione Evangelii pacis.»

Stantes comederunt, ut patet.

Dices, Matth. cap. XXVI, vers. 20, Christus celebrans pascha discubuisse dicitur; ergo non stetit. Respondet Maldonatus ibidem, discumbere significat mensae adesse, quovis situ, sive sedens, sive stes, sive accumbas; nam quia olim discumbendo prandebant, hinc mansit usque hodie illa phrasus, ut accumbere mensae dicamur, cum illi assidemus.

Verum, quia discrete de Christo dicitur Joannis cap. XIII: «Surgit a cena, et ponit vestimenta sua;» et paulo post: «Cum recubisset iterum, dixit eis;» hinc aptius dici potest, Christum de more stelles in cena agni, sed discubuisse in cena communi, quae cenam agni secuta est, indeque surrexisse ad lotionem pedum, atque ea peracta, mox iterum recubuisse. Denique multi putant haec et alias agni caeremonias in primo tantum hoc Hebraeorum pascha, non autem deinceps servatas esse. Verum quid in hac re sit verius, dicam inferius vers. 13.

Symbolice Philo: Qui tendunt, inquit, ad cultum virtutum, sicut accineci lumbos, id est, expediti ad Deo ministrandum, et in virtutum exercitio laborandum, sicutque induti calceis, quibus carneam molem ratione continent: stentque recti firmatis pedibus; et disciplinam habeant, quasi virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vitae negotia, atque festinent in hoc virtutum studio.

Tropologice S. Gregorius, hom. 22 in Evang.: Qui vult phase Christianum comedere, accingat renes, id est voluptates edomet, carnem a luxuria restringat; calceos habeat in pedibus, id est, Sanctorum mortuorum vitam et exempla conspiciat, ut sua vestigia a peccati vulnere custodiat; tertio, teneat baculum in manu, id est, pastorem curam gerat eorum, qui sibi commissi sunt; quarto, comedat festinanter, id est, ad sollemnitatem patriae celestis anhelet. Audi quoque B. Algerum, lib. I De Sacramento altaris, cap. XXII: «Lex, inquit, dedit in calceamentis cautelam, ne a vitis fallamur: in baculo disciplinam, qua perpetrata corrigamus: in lactucis compunctionem: in festinatione desiderii ardorem, quo ad caelestia suspiremus: in accineciis renibus continentiam et castitatem, quia Christo agno immaculato, et Virginis filio crucifixo, ejusque unitioni nihil ita adversatur, ut voluptas, et fornicariae societatis unitas.»

Denique calceus continentiam significat, cingulum modestiam, baculus spem, ait Nyssenus in Vita Moysis: «A spinis, inquit, peccatorum calceus defendat continentissimam, tenuis ac dura vite: talaris vestis et effusa, hoc est voluptuosa vivendi ratio, cingulo quodam, id est modestia, coarctanda est, quae monet ad necessitatem, non ad voluptatem rebus uti: baculus vero, quo et feras hereticorum repellimus, et sustentamur, spes est.»

EST ENIM PHASE, ID EST TRANSITUS DO-

Symbolicus agni essus.

Tropologice de Eucharistia.

Vers. 11 et 12.

MINI, ET (ID EST QUIA) TRANSITO PER TERRAM AEGYPTI NOCTE ILLA, PERCUTIANQUE OMNE PRIMOGENITUM. — q. d. Comeditis agnum festinanter, quia hic essus agni significat celerrim et prepropere transitum Angeli, ut percussit primogenita Aegypti.

Nota primo: Pro phase hebraice est, pesach; Theodofion vertit, εσχιζ; Syri et Chaldaei more suo addentes aleph, vertunt pischa, vel pascha: hoc secuti sunt Septuaginta vertentes pascha, vel ut Hebraei nomini Γραμματίον terminationem darent, vel quia populus Babylone rediens Chaldaeorum nomen pascha, praeter Hebraeorum pesach, usu vulgari terebat. Noster vertit phase, quia ultima gutturalis chet in Hebraeo pesach, cum sit difficilioris pronuntiationis, apud Graecos et Latinos supprimi solet. Unde Septuaginta, Noster, et alii chet in dissyllabis in e vertunt, ut pro Hebraeo Noach, vertant Noe; pro Corach, Core; pro Therach, Thare; pro Jephthach, Jephthe; sic et pro pesach, phase.

Nota secundo: Pesach, pascha et phase, significat transitum, vel magis proprie transitum; radix enim פסח pasach significat transire, uti vertit noster Interpres, vers. 23, et III Regum capit. XVIII, vers. 26. Unde et פסח pisceach vocatur claudus, eo quod quasi salitans incedat. Hinc et Symmachus ac Josephus pascha vertunt περιελας, id est transcensum, et S. Hieronymus in Nominibus Hebraeis transgressum, transcensionem. Noster hic generalius transitum vertit, ut Angeli duplicem transitum, primum per Hebraeos, eis parcendo, secundum per Aegyptios, eos percutiendo, significaret. Dicitur ergo pascha, id est transitus, quia pascha significabat, quod Angelus transiret domos Hebraeorum, eas intactas relinquendo, et insiliret in domos Aegyptiorum, eorum primogenita occidendo.

Dices: Tertullianus, lib. Contra Judaeos, videtur dicere pascha non esse Hebraeorum, sed Graecorum nomen; illud enim αἰνὸς τοῦ πάσχα, id est apatiendo, deducit; et quod hic dicitur: «Est enim pascha (juxta Septuaginta) Domini,» putat propheticum esse dictum, quasi dicat: «Est enim passio Domini,» quia scilicet eodem hoc die patitur Christus. Idem indicant Irenaeus, lib. IV, cap. XXII, et Nazianzenus, oratione 2 De pascha; idque probat Nazianzenus ex eo, quia si pascha esset Hebraeorum, non Graecum, dicendum esset pascha, non pascha. Veteres enim Hebraei non habebant pe durum, sed phe molle sive Arabicum, uti testatur S. Hieronymus in cap. XI Daniel; hinc enim dicitur: Phares, Pharaos, Pharisensis; non autem Pares, Parao, Parisiensis.

Respondeo: Patres hos non ad litteram, sed mystice loqui, et symbolice hunc locum explicare: volunt enim, non sine Dei consilio hanc vocem pascha inventam esse, quae tam graece, quam hebraice etymologiam habet rei maxime consentaneam. Argumentum Nazianzeni exile est; nam non tantum Graeci, Syri et Chaldaei, sed et

ipsi Hebraei posteriores pro phe initio dictionis pascha, semper usurpant pe: semper enim pe initiali infligunt daqesch durum, ut patet ex eorum Grammatica.

Nota tertio: triplex hic fuit transitus: primo, Angeli vastatoris; secundo, Hebraeorum ex Aegypto in Chanaan; tertio, eorumdem per mare Rubrum: hunc tertium significari nomine pascha putat S. Augustinus, tract. 33 in Joan. Secundo, Philo, Josephus, lib. XVII Antiq., et Nazianzenus supra putant pascha significare transitum Hebraeorum ex Aegypto, idque innuit Deuter. XVI, vers. 1. Verum dico, pascha primo et proxime significare transitum Angeli vastatoris: id enim hic dicitur; mediate tamen et finaliter significare transitum Hebraeorum ex Aegypto: ad hunc enim quasi ad finem dirigebatur hic transitus Angeli. Ita S. Hieronymus et Josephus hic, lib. II.

Nota quarto: Phase vel pascha proprie significat transitum, vel potius transitum; inde secundo, significat metonymice agnum immolatum; pro hoc transitu: sic saepe in Scriptura dicitur immolari vel comedi pascha, id est agnus paschalis. Tertio, inde traductum est ad festum paschale: festum enim, quo immolabatur hic agnus paschalis, vocatur pascha: imo et septem dies azymorum illi contigit, vocatur pascha, Actor, cap. XII, vers. 4, quia sollemnitas haec septem dierum cum paschate incipiebat, eratque propter ipsum pascha. Quarto, pascha significat victimas quaslibet ovium et boum, quae illis septem diebus immolabantur, de quibus Numer. cap. XXVIII: haec enim a previo paschate phase, sive pascha ducuntur; quae Judaei in passione Christi comesturi, ingredi noluerunt Pilati (utpote Ethnici) praetorium, ne contaminarentur, ut patet Joannis cap. XVII, vers. 28.

Allegorice, agnus est Christus, qui de morte transivit ad vitam, de terra in caelum, ut nos a peccato ad gratiam, ab inferno ad caelum transiremus. Unde tropologice, phase, id est transitum, celebrat animam, cum egreditur a cogitationibus Aegypti, id est a molimine peccati, inquit S. Augustinus tract. 33 in Joan. «Pascha, inquit S. Ambrosius, lib. I De Cain, cap. VIII, transitus est a passionibus ad exercitia virtutis;» et clarus lib. I Hexaemer., cap. VIII: «Pascha Domini quotannis celebratur, hoc est animarum transitus a vitis ad virtutem, a passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, a malitiae nequitiaeque fermento ad veritatem et sinceritatem regenerationis.» Et S. Gregorius, hom. 40 in Evangeli: «A regione, inquit, nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum veltum gustando discissimus: sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refranendo redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur: quoniam qui a paradisi gaudiis per delectationem recessimus, ad haec per lamenta revocamur.»

Triplex transitus paschalis.

Pascha primo, est transitus; secundo, agnus pro Iram; tertio, festum.

Quarto, victimas quaslibet paschalis.